



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II

***HOMILIA IN SACRO CONSISTORIO  
AD NOVOS CREANDOS SODALES SACRI COLLEGII***

*Datum Romae, die II mensis Febraurii anno Domini MCMLXXXIII*

*Venerabiles ac dilecti Fratres, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales,*

Est mihi magnae laetitiae causa quod hodie in Festo Praesentationis Domini, qui est “lux mundi”(Io 8, 12), mihi datur vos omnes in his Vaticanis Aedibus praesentes salutare. Iam saepius aetate proxime praeterita contigit ut Membra Sacri Collegii ad coetum agendum convocarentur; quo fit ut eiusdem venerandi instituti momentum augeatur mihiq̄ue praeclara auxilia praebeantur ad gravia negotia in Ecclesiae utilitatem expedienda. Hoc vero Consistorium, quod celebratur, item eventus est non levis ponderis in Ecclesiae vita: novi enim creantur Cardinales, qui Collegio vestro aggregentur. Etenim “Consistorium - ut verbis utar Pauli VI, Decessoris mei recolendae memoriae, - intellegitur esse admodum grave ac sollemne tempus” (PAULI PP. VI, [Allocutio, die 24 mai 1976: Insegnamenti di Paolo VI, XIV \[1976\] 377](#)). Cuius rei conscia est tota Familia catholica, quae ad hunc conventum attendit; quin immo etiam aliorum plurimorum mentes eo convertuntur.

Deinde hoc Consistorium in singulare incidit Ecclesiae tempus, quo impensa eius actio pastoralis, ad omnes pertinens, qui catholico nomine censentur, effulget: ante breve spatium, ut nostis, universale lubilaeum est indictum ob expletum annum MCML ab humani generis Redemptione peracta; atque ante paucos dies novus *Codex Iuris Canonici* editus est, permagnum sane opus, quod iam Ioanni XXIII erat propositum et in quo diu est elaboratum. Non dubito quin operam pro viribus sitis collaturi ut haec incepta, quae non alio spectant quam ad renovandam et roborandam Ecclesiam, salutarem finem suum consequantur.

Cardinales non solum huic Sedi Romanae peculiari titulo iunguntur suntque praecipui consilarii et

cooperatores eius qui beato Petro in apostolico munere successit, sed sunt etiam quasi quaedam imago unitatis eiusdem Ecclesiae, utpote qui “affectu collegiali” (*Lumen Gentium*, 23) sub eius visibili capite sint constituti.

Praeterea eminet in Sacro Collegio universalitatis nota, Ecclesiae catholicae propria, quae ex voluntate Conditoris sui totum mundum (cf. *Mc* 16, 15) complectatur oportet: nam eiusdem Collegii Membra ex omnibus continentibus terris ad amplissimum suum officium ac dignitatem sunt assumpta. Quae universalitatis indoles etiam in hodierno Consistorio est manifesta, quia Sodales, qui eidem Ecclesiae senatui adiunguntur, ex Africa, America, Asia, Europa, Oceania asciscuntur. Inter quos sunt Praesules non solum sedium vetere traditione catholica insignium, sed etiam novellarum Ecclesiarum, ut Abidianensis, Bangkokensis, Lubangensis. Maxima cum dilectione nos omnes hos novos ramos respicimus “arboris frondentis, floribus fructibusque uberis”, quemadmodum Ioannes XXIII Ecclesiam ipsam appellavit (IOANNES XXIII, *Allocutio, die 15 dic 1958*: AAS, 1958, 982).

Sunt deinde inter eos qui Sacri Collegii Membra hodie efficiuntur, duo, quibus gravissimum munus in Romana Curia est commissum quorumque propterea est Romanum Pontificem in officio universae gubernandae Ecclesiae propius adiuvare: alter praeest Supremo Signaturae Apostolicae Tribunali, alter Sacrae Congregationi pro Sacramentis et Cultu Divino.

Demum hac ipsa Cardinalium creatione varietas ministeriorum, quae in Ecclesiae bonum implentur, in lumine ponitur: etenim ii sunt, maximam quidem partem, sacrorum Antistites, qui “loco Dei praesident gregi, cuius sunt pastores” (cf. *Lumen Gentium*, 20), alii, ut modo significavi, magni momenti officia obeunt apud Sedem Apostolicam estque vir, qui excolenda doctrina theologica operibusque Ecclesiae Patrum pervestigandis rei christianae inservit.

Plures quidem in sacro ordine versantes et plures sedes archiepiscopales et episcopales digni fuissent, qui Cardinalis dignitate honestarentur aut a Praesule ea ornato regerentur; non tamen discedendum visum est a regula, per Paulum VI statutam, qua cavetur ne numerus Patrum Cardinalium facultate praedictorum electionem Romani Pontificis participandi centum viginti personas transgrediatur. Cui rei Summus Pontifex ille haec addidit verba: “Exoptamus ut huiusmodi norma, probe perpensa, diutinam vim habeat utque in apostolico officio Successores Nostri eam velint servare” (PAULI PP. VI, *Allocutio, die 5 mar 1973: Insegnamenti di Paolo VI*, XI [1973] 192).

Iuvat nunc nomina eorum recensere, qui amplissimo Cardinalium Collegio annumerantur.

Hi sunt:

ANTONIUS PETRUS KHORAICHE, Patriarcha Antiochenus Maronitarum;

BERNARDUS YAGO, Archiepiscopus Abidianensis;

AURELIUS SABATTANI, Archiepiscopus titulo Iustinianensis, ProPraefectus Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis;

FRANCISCUS KUHARI, Archiepiscopus Zagrebiensis;

IOSEPHUS CASORIA, Archiepiscopus titulo Foronovanus, ProPraefectus Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino;

IOSEPHUS ALÍ LEBRÚN MORATINOS, Archiepiscopus Caracensis;

IOSEPHUS L. BERNARDIN, Archiepiscopus Chicagiensis;

MICHAEL MICHAÏ KITBUNCHU, Archiepiscopus Bangkokensis;

ALEXANDER DO NASCIMENTO, Archiepiscopus Lubangensis atque Administrator Apostolicus “ad nutum Sanctae Sedis” Oniivanus;

ALFONSUS LÓPEZ TRUJILLO, Archiepiscopus Medellensis, Praeses Consilii Episcopalis Latini Americani;

GODEFRIDUS DANNEELS, Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis;

THOMAS STAFFORD WILLIAMS, Archiepiscopus Vellingtonensis;

CAROLUS MARIA MARTINI, Archiepiscopus Mediolanensis;

IOANNES MARIA LUSTIGER, Archiepiscopus Parisiensis;

IOSEPHUS GLEMP, Archiepiscopus Gnesnensis et Varsaviensis;

IULIANUS VAIVODS, Episcopus titulo Macrianensis maior, Administrator Apostolicus “ad nutum Sanctae Sedis” Rigensis et Liepaiensis;

IOACHIMUS MEISNER, Episcopus Berolinensis;

HENRICUS DE LUBAC, Societatis Iesu Sodalis.

Itaque auctoritate Omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac mea creo et sollemniter renuntio Cardinales Sanctae Romanae Ecclesiae singulos, quorum modo nomina protuli.

Ex his ad Ordinem Diaconorum pertineant:

AURELIUS SABATTANI;

IOSEPHUS CASORIA;

HENRICUS DE LUBAC.

Ceteros pertinere volo ad Ordinem Presbyterorum.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

© Copyright 1983 - Libreria Editrice Vaticana

---

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana